

136.
136.

DEO DUCE
MEDITATIO S. EPISTOLÆ
FERIA PRIMA
PENTECOSTES.

Additis S. Patrum dictis Quæstio-
numq; aliquot decisione, ad uberiorem textus cum opus
est explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

In Regia Aboënsi Academia,

P R E S I D E.

ÆSCHILLO PETRÆO, S.S.
Theolog, Doctore & Episcopo Aboënsi,

Examini subjicit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem Junij Anni 1654.

GABRIEL SIGFRIDI MALMENIUS
NYLANDUS.

Beda in hunc locum:

Juxta historiam dies Pentecostes, id est quinquagesimus computantur, quo lex data
erat ab occisione agni, hic autem non à Domini cæna vel die, qua crucifixus
est: sed ab eius resurrectione.

Lyra in hunc locum:

Tale miraculum nunquam fuerat visum vel auditum, & patet litera, in qua denomi-
nantur habitatores diversarum regionum, in quibus sunt divisa idiomata to-
taliter: sicut in Judæa & Roma & partibus aliis.

A B O Æ,

Excusa Typ, Acad. apud Viduam Petri Waldz 1654.

Genere & Virtute Nobilissimis ac Magnanimis,

V I R I S.

DN. R U B E R T H O Rosenschmitt de Øfwerby &c.
Regiæ M. tis Servitori, & Ordinis militum Equitum præ-
fecto, ut fidelissimo, ita magnanimo; Evergetæ ac pro-
motori suo jugi observantiae cultu ætatem colendo.

DN. N I C O L A O Rosenschmitt de Skölwijk &c.
à S. a R. a M. te Captein Leutenant ut optime Constituto,
sic maxime strenuo; Mæcenati & promotori suo quovis
dietatis & Reverentiæ zelo ævitemum suspiciendo.

S I M U L A C

Reverendis, Clarißima Dignitate, Virtutum Ornamento
Eminentibus, sacrarum vè Pandectarum studiosissimis, ut & in
fontibus Israelicis versatissimis, Viris.

DN. H E N R I C O H E N R I C I, Pastori
in Ingø Vigilantissimos Mæcenati & susceptoris suo omni
Pietatis studio æviter honorando.

DN. M A R T I N O I. B R E N N E R O,
Pastori in Espa Accuratissimo; ut Evergetæ suo pluri-
mum colendo, ita promotori ac fautori suo Reverenter
suspiciendo.

DN. H E N R I C O S. M A L M E N I O,
verbi Divini Symmista in Siundo perfidi; ut fratri suo
Germano, ita omni fraternali honoris & amoris cultu ap-
primè amando.

DN. A B R A H A M O H. H A G E R O,
verbi Divini præconi in Ingø impigerrimo, fratri sva-
vissimo, nec non infucatae amicitiae loco singulariter Ad-
jungendo.

Theologicam hanc συζητησιν, In Studiorum Σεραπευμα,
grata mentis uotori μημα, debitaq; observantia
πιθειμα offerre & nuncupare voluit, imo quia
debet.

GABRIEL S. MALMENIUS Resp.

M E D I T A T I O S . E P I S T O L A E
F E R I A E P R I M A E
P E N T E C O S T E S .

In Sanctæ & summe Laudandæ Trinitatis, Patris, filii
& Spiritus Sancti nomine,

Omnes sicutientes venite ad aquas & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: venite, emite absq; argento, & absq; ulla commutazione vinum & lac. Quare apenditis argentum, non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine, anima vestra. Inclinate anrem vestram, & venite ad me: audite, & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pacatum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum ducem ac præceptorem gentibus. Ecce, gentem quam nesciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & sanctum Iſraël: quia glorificavit te, Eſa. 55. v. 1: 2: 3: 4: 5: In quibus verbis, Spiritualis quædam invitatio describitur sitibundorum & famelicorum quoad animam, ut accedant promptuarium & cellam DEI, habituri sine pecunia quicquid pala-

to arridet & gratum esse potest, & sentient recreationem
& vivet anima eorum. Hoc autem promptuarium &
cellam, dicit esse DEI ineffabilem misericordiam, æ
ternum fœdus gratiæ, per Iesum Christum Davidis fi
lium erectum, ut in eo benedicantur omnes gentes ter
rae. Per hunc omnia bona nobis dantur & offerantur,
ipse Salus & vita æterna, ille est ostium, via & veritas.
Hic positus est in testem in populo, qui de voluntate pa
tris testatur, quod Deus sic dilexit mundum, ut omnis
qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam
Joh. 3. Ille est princeps & doctor suæ Ecclesiæ. Hic
vocabit ad se gentes, & qui ipsum non dum neverunt,
ille faciet unum ovile, ille erit unus perpetuus pastor.
Vocabit autem per suos ministros Apostolos in totum
terrarum orbem mittendos, sed prius maximis spiritus S.
donis exornandos, mysteriorum divinorum accurata
& admirabili cognitione, facultate loquendi omnibus
quæ sub coelo sunt linguis, animo intrepido & forti, ut
neminem timeant docere viam salutis. Quibus donis
Spiritus sancti, Apostoli exornati sunt primo festo Pen
tecostes post ascensionem Christi in cœlum. Dono
rum Spiritus S. effusionis historiam Textus jam expli
candus proponit. Imprimis v. Spiritus Sancti benefi
cia erga Ecclesiam collata celebremus, eumq; invoce
mitis canentes:

Veni Sancte Spiritus.

Oremus etiam Deum, ut hodiernum festum ita celebrare,
Epistolamq; ita meditari queamus, ut cedat in nominis Di
vini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrina, &
bonorum operum, in spem & fiduciam & tandem in æternam
beatitudinem. Dicamus igitur. Pater noster &c.

Textus

Textus. A&t. 2. v. i. ad 14.

Recitat S. Lucas in textu recitato miraculum quod-dam, quod cotigit primo festo Pentecostes N. T. Paulo post assensionem Christi in cœlos, videlicet quod discipulis unamiter congregatis, factus fit repente sonitus de cœlo tanquam validi venti, replens domum ubi erant discipuli. Postea visæ dispergitæ lingvæ quasi ignæ, sedentes super unumquemq; Apostolorum. Quod etiam repleti Spiritu S. cæperint loqui variis peregrinis lingvis, pro ut Spiritus S. eos dirigebat & eorum sermonem. Post factum hunc sonitum dicit S. Lucas confluxisse magnam populi multitudinem Judæorum & aliorum, ex omnibus qui sub cœlo sunt, audiverunt verò eos loqui Apostolos quorumlibet lingvâ, ut ab illis optimè intelligerentur, quamvis essent Apostoli Galilæi, loquebantur verò magna DEI mysteria. Obstupescunt & admirantur hoc miraculum, quid portendet. Quidam illudunt eis & dicunt eos esse ebrios. Admonemur præcepti tertij, quod in ministerio sacro opus sit Spiritus Sancti auxilio, licet non ita adveniat visibili modo ut hic fit super Apostolos. Confirmatur articulus fidei, de Divinitate Spiritus S. verè enim est DEUS, qui tanti miraculi est author; tantum scientes Galilæam lingvam vel maternam, docet loqui omnibus lingvis: hactenus non valentes portare omnia, quæ Christus docuit, iam fiunt in omnibus doctissimi. Excitamus ad orandum: sanctificetur nomen tuum,

P A R T E S:

I. De effusione donorum Spiritus S. super Apostolos.

*II. De judicis spectatorum hujus miraculi, quid se n
ferint dixerint vè de hoc miraculo.*

Atq; hæ sunt istæ Partes, quas hâc vice brevitèr & sim
plicitèr tractare constituimus: Omnipotens & aeternus
DÆus, Pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedi-
cat, cunctaq; utilitèr & fructuose cedere faciat.

P R I M A P A R S.

In quā meditamur:

I. Hujus miraculi tempus.

Hoc indicatur à S. Luca his verbis: cum comple-
retur dies Pentecostes, venit sonitus de cœlo. Hoc festum
celebrabatur in V. T. ante Christi ascensionem in coe-
los, & ante miraculosam effusionem Spiritus S. in Apo-
stolos, in memoriam datæ legis in monte Sinai, die quin-
quagesima post egressum Israëlitarum ex Ægypto; vo-
catur hoc festum **in lege** Mosis festum Septimanarum,
quod describitur Deut. 16. v. 9. 10. 11. 12. Ubi etiam hu-
jus festi hæc causa innuitur, quod oportet ipsos recor-
dari servitutis, quam pertulerunt in Ægypto, & datæ
jam ac concessæ libertatis ab illa servitute. Prius vixe-
runt ad arbitrium & statuta Ægyptiorum, nunc liceat
vivere juxta Dei leges, præcepta & statuta. Hoc festum
iam in N. T. celebratur in memoriam hujus miraculi,
quod Spiritus S. tertia Divinitatis persona tam perspi-
cuè se manifestavit signo & virtute; signa erant ut mox
audiemus lingvæ ignæ super Apostolos, sonitus de
cœlo resonans. Virtutes varias & dona indidit Apo-
stolis intelligendi & proloquendi mysteria magna, ratio-

ni h̄umanæ prorsus incognita & incomprehensibilia,
Quâ Spiritus S. operatione factum ut Evangelium præ-
dicaretur in toto mundo, ut omnes qui crederent in Dei
filium, non condemnarentur, sed vitam æternam acci-
perent.

L. C. Non celebramus quidem festa more Judaico
vel ex vi & præcepto legis Mosaicæ; nam de illis extat
sententia Apostoli Colos. 2.v.8. seq. ad v.18. interim pii,
à veneranda Ecclesia, Doctores, quædam festa habent,
quæ etiam apud nos usitata, cum primis vero hæc magna
festa: Nativitatis Christi, Paschatos, Pentecostes, quod
hodiè Ecclesia celebrat. Quæ Ecclesiæ DEI ordinatio
minimè contemnenda. Hypocitarum & illusorum
judicia de festis improbat Syrach. Cap. 33 v.7. 8. 9. 10. 11.
Hoc v. attendendum ut festa nostra celebremus in lau-
dem Dei, gratiarum actionibus, precibus, canticis,
concionibus, gaudio etiam corporali, benefaciendo e-
tiam pauperibus & perigrinis, ut docet DEUS Deut. 16.

II. Personas, quibus Spiritus

S. se manifestavit, & super quas effusus, & in qui-
bus mox operatus est mirabilia. Quinam hi fuerunt,
qui Spiritus S. dona acciperunt, indicat S. Lucas in ea
p̄te præcedenti v. 13. ubi nomina horum recensentur,
qui omnes Christi fuerunt discipuli & spectatores ascen-
sionis ejus in cœlum & auditores angelicæ concionis,
de reditu Christi visibili in extremo die, quam concio-
nem audiverunt in monte Olivarum, unde etiam Chri-
stus ascendisse videtur, De his dicitur quod perman-
serint postea in precatione & oratione cum Maria matre
Jesu & cum fratribus ejus. Quia vero Judas Ischariot
pro-

proditor Christi horribiliter perierat, & numerum cu-
piebant plenum Apostolorum, eligunt in locum Judæ,
Matthiam nomine. Erant itaq; duodecim Apostoli,
hi erant congregati unanimiter, & quidem in domo
quadam vel contignatione superiori; cuius hæc domus
fuerit, non indicatur, videtur illa domus fuisse, in qua
erant congregati adveniente Christo post resurrectionem
nem ex mortuis, fortasse illa, in qua Christus comedeva
agnum Paschalem cum discipulis ante Passionem
suam, nam describitur & illa, quod fuerit cœnaculum
superius vel superior contignatio. Marc. 14. v. 15.

L. C. Ubi preces seriæ ad Deum fiunt, ubi concor-
dia est fraterna, illic Spiritus S. sese manifestat, licet non
ita visibili modo, ut hic factum, attamen invisibili mo-
do & virtute efficaciaq; sua. Ideò pietas & pietatis ex-
ercitia non negligenda, orationes ad Deum non negli-
gendæ, dabit enim DEUS Spiritum S. potentibus. Con-
cordia necessaria est Christianis, si velint aliquid impe-
trare à DEO, præsertim Spiritualia bona. Ubi, inquit
Christus, duo vel tres in nomine meo congregati, illic
sum in medio eorum. Matthæi 18. v. 19. 20. Hoc vult
Psal. 133. & Psal. 105. v. 1. 2. 3. 4. 5. Psal. 105. v. 1. ad v. 9.

III. Modum effusionis dono-

rum Spiritus S. in Apostolos. 1. Fit sonitus de
coelo tanquam vehemens ventus. 2. Replet domum
ubi erant Apostoli sedentes. 3. Apparuerunt dispertitæ
lingvæ ignæ, habentes speciem ignis; hoc signo exter-
no apparuit Spiritus S. ut indicaret efficaciam concio-
num Apostolicarum, ad comburendum quasi veterum
inveteratos errores gentilium & aliorum seductiones.
In baptismo Christi apparuit Spiritus S. in specie colum-
bae

bæ ad denotandam Christi innocentiam & Sanctitatem.
4. hæ lingvæ igneæ apparuerunt super capita Aposto-
lorum solùm. 5. Replentur etiam intrinsecè Spiritu
Sancto, hoc est donis Spiritus S. admodum & copiose
exornantur & illuminantur, & mox hæ dona auditio-
ribus præsentibus indicant per sermonem in aliis lin-
gvis de rebus gravissimis & magnis Dei mysteriis.

L. C. I. Patet ex hoc modo apparitionis Spiritus,
Sanctus divinitas Spiritus Sancti. Conferre verò cogni-
tionem lingvarum omnium in momento, est opus Dei:
Deus in momento confudit lingvam primam, quam æ-
dificantes turrim babylonicam habuerunt eandem, fa-
ciendo multas lingvas, aut ex una multas, sed mirabili
Dei sapientia multiplicando lingvas. Confudit Deus
lingvas ædificantium, hoc est dedit alias atq; alias
lingvas præter illam primam Lingvam, quâ Hoc usus
cum suis & ipsorum posteri, quæ fuit, ut communis
est opinio, lingva Ebræa. Hæc lingva mansit inconfusa
in familia Eber, unde etiam Ebræa dicitur. Reli-
quis dedit Deus alias lingvas ut non mille essent unius
eiusdemq; lingvæ, ideoq; coacti sunt omittere incæ-
ptam ædificationem. Has lingvas solus Deus dedit,
jam Spiritus S. dat lingvarum harum omnium, quæ in
mundo sunt, cognitionem, ergo etiam est verus Deus.
In Spiritus S. nomine, æquè ac in nomine patris & filii
baptizamur. Noverimus itaq; Spiritum S. esse verum
Deum, & quod rectè credimus eum esse verum Deum,
ut tertius fidei nostræ articulus habet.

L. C. 2. Dona Spiritus S. necessaria sunt docenti-
bus in Ecclesia, modo aliquid salutare vclint præstare in
Ecclesia. Dona naturalia, elegantia, prudentia, sobri-
etas, etiam necessaria sunt, sed dona Spiritus S. abesse

non possunt. Verè enim dicitur: sine tuo numine nihil
est in homine, nihil est innoxium. Ita David pro Spir-
itu S. donis orat, Psal. 51. v. 12, 13. Psal. 143. v. 10. II.

L. C. 3. Lingvarum cognitio doctoribus Ecclesiæ
necessaria & utilis. Quæ licet nunc non obveniat ali-
cui in instanti, sed magno cum labore, tamen est
donum DEI posse illas discere, præsertim lingvas illas
duas sacras & principales Ebræam & Græcam, in qua
priori scriptum est vetus Testamentum, in altera est
novum Testamentum scriptum. Debemus verò DEO
magnas gratias quod habemus utrumq; Testamentum,
ex his duabus primariis linguis Ebræa & Græca in lin-
givam nostram vernacula transfuscum & translatum,
ut non sit opus recurrere ad has duas peregrinas lingvas,
nisi in disputationibus cum adversariis. Alias tuto
sacris Bibliis in nostram lingvam recte conversis fidere
Possumus & debemus, nec dubitamus nostras preces,
laudes & gratiarum actiones & conciones esse D E O
gratus in hac nostra vernacula lingva, qua illorum pre-
ces & alia pietatis exercitia, qui in lingua Ebræa vel
Græca orant vel laudant Deum. Id quod testatur etiam
Psalmita Psal. 117. v. 1. 2. Meminerint etiam qui lin-
gvas didicerint, nisi iis utantur ad gloriam DEI & ædi-
ficationem proximi, nihil boni efficiunt per hanc cogni-
tionem quod Apostolus docet I. Cor. 13. Si lingvis, inquit,
angelorum & hominum loquar, charitatem verò non
habeam, factus sum æs resonans vel Cymbalum tianiens.

SECUNDA PARS

In parte prima fuit consideratio miraculosa effusio-
nis donorum Spiritus S. super Apostolos. In hac al-
tera parte occurrit judicium auditorum & spectato-
rum de hoc miraculo.

In quā meditamur:

I. Auditorum descriptio-

nem. 2. Quoad nationem vel patriam. De hac refert S. Lucas, quod fuerint illi partim Judæi habitantes Jerosolymis; deinde viri pii ex omni gente quæ sub caelo est. Hic mox recencentur & nominantur Parthi, Medi, Elamitæ, & habitantes in Mesopotamia, Judæa & Kappadocia, Ponto & Asia, Phrygia & Pamphilia, & in finibus Libyæ & Cyrenæ, & peregrini Romani Judæi & Proselyti, Cretenses & Arabes. Hi omnes sine dubio soliti erant etiam antea, hoc tempore visitare urbem Jerusalem, & quidem propter cultum divinum. Alias legimus Act. 6, fuisse Jerosolymis Libertinos habentes illic Synagogam suam Cyrenæos, Alexandrinos ex Cœlia & Asia, disputantes cum Stephano, qui non posuerunt resistere spiritui loquenti per Stephanum. Act. 6. v. 8. 9. 10. Sine dubio quotannis erat magnus confluxus hominum peregrinorum Jerosolymam, propter templum elegantissimum, propter cultum DEI magnificentum, propter sapientiam Regum & Sacerdotum Juðorum. Hoc etiam ostendit historia adventus Magorum Jerosolymam. De Jerusalem dicitur Psal. 122, v. i. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Sicuti Deus tunc temporis habuerit Ecclesiam ex variis populis & linguis ex omni Gente quæ sub caelo est, Evangelium prædicatum in toto orbe juxta Christi mandatum, ut Apostolus testatur illud prædicatum esse suo tempore & fructificasse in toto mundo: Ita etiam habet hodie Ecclesiam congregatam ex omnibus nationibus & populis etiam ubi nos non credimus, Elias existimat se solum relictum verum Dei cultorem,

sed Dominus habuit adhuc septem millia, immo multa milia suorum cultorum & Servorum. Et Ecclesia non semper est visibilis, non semper florens & virescens sed ut civitas in monte quidem posita, sed tenebris involuta, idcirco credimus esse talem Ecclesiam per totum mundum dispersam, cuius nobiscum eadem fides, idem verbum DEI &c. Non itaque existimemus nos solos veros Christianos, adhuc est multitudo innumera juxta nostrum numerandi modum, vere Deum timentium, diligentium & invocantium. Hoc testatur S. Johannes Apoc. 7. Scribens postquam vidisset signata tot millia ex qualibet tribu, duodecim tribuum Israel; ex tribu Juda tot millia, ex tribu Ruben &c. vidit populum multum, quem nemo numerare potuit ex omnibus Gentiibus, tribubus, populis & linguis, stantes coram throno & agno, induiti stolis albis & palmæ in manibus eorum, clamantes voce magna & dicentes: salus sedenti super thronum Dei nostri & agno.

L. G. 2. Non omnes Judæi fuerunt tempore Christi increduli, erant multi pii & boni Christiani sed clam propter aliorum metum, quorum timiditatem & infirmitatem Deus toleravit. Nicodemus venit ad Christum nocte, Josephus de Arithmathia bonus Christianus & multi alii, sed pauci erant in collatione & respectu ad multitudinem impiorum & incredulorum, quorum tamen magna pars etiam conversa per Apostolorum prædicationem. Et Apostolus Rom. II. de Judæorum conversione non dubitanter scribit, v. 23. ad v. 31.

II. Medium congregandit tantum, auditorum & spectatorum miraculi, multitudinem. Hoc indicat S. Lucas dicendo: Postquam
faetus

factus hic esset sonitus convenit multitudo populi, non tuba vel buccina, non tympano, non campanis convoca-
ta hæc multitudo, sed cœlitus factio sonitu, magna
convenit multitudo ex omnibus Gentibus & populis
qui sub cœlo sunt. Divinitus itaq; convocati a quodam
miraculo, videtur etiam fuisse ingentem & vehemens
tem sonitum tanquam vehemens aliqua procella. Et
hic sonitus ut apparet publicè innotuit, & quæ domus
illa, quæ repleta fuisset hoc habitu, domus in qua cede-
bant Apostoli cum aliis piis,

L. C. DEO non deest via & medium habendi spe,
statores suorum miraculorum & factorum. Ita nomen
DEI per se quidem sanctum est, etiam sine nostra peti-
tione, verum nobis orandum ut etiam apud nos sanctifi-
cetur, ut D. Lutherus primam petitionem orationis
Dominicæ interpretatur. Ita regnum DEI advenit,
ita voluntas ejus fit sine nostra petitione, verum nos ora-
mus, ut ad nos perveniat regnum Dei, apud nos fiat vo-
luntas ejus. De hac Dei potentia efficiendi, quid ve-
lit, loquitur Joel cap. 26. v. 8. seq, ad finem capititis.
David Psal. 68. v. 33. 34. 35. 36.

III. Auditorum animos &

verba de hoc miraculo. Primò dicit S. Lucas quod obstu-
puerint & timuerint ad hanc visionem, ad hanc Majesta-
tē, quam representabant hæ lingvæ igneæ, insignis & in-
audita apostolorū eloquentia etiam in lingvis peregrinis
cujusvis nationis, qui tamen erant Galilæi, qui alias ha-
bebantur pro rudioribus, ut de Nazaretho dicebat Na-
thanael, nunquid boni ex Nazaretho. Ioh. 1. v. 48. Des-
inde locuti sunt auditores de hoc miraculo dicentes:
Ecce, nonne omnes qui loquuntur Galilæi sunt, quomo-

do audimus eos loquentes cuiusque nostrâ lingvâ, in qua
nati sumus. Deinde enumerantur populi nationum
variarum, qui hoc dixerint & varias lingvas habuerint.
Audimus, inquiunt, illos eloquentes magnalia Dei, ob-
stupescunt iterum ac dicunt inter se: Quid sibi vult. Qui-
dam deridebant Apostolos ita loquentes & adscribabant
corum sermones & explicationes magnalium DEI, ebri-
etati, dicentes: sunt ebrii. Quos masculè redarguit &
refutat S. Petrus, quam impudenter suo ore protulissent
hanc contumeliam, quamvis in secreto vel paucis audi-
entibus prolatam.

L. C. In Ecclesia varietas magna auditorum depræ-
henditur in explicandis concionibus & sermonibus de
operibus Dei & ipsis Dei operibus. Cum Christus ejecis-
set dæmoniū quoddam, ut scribit S. Matth. c. 12. varia au-
ditorum & spectatorum extabant judicia. v. 22. Quidam
admirati sunt, quidam Diabolo tribuunt hanc virtutem
Christi. Quædm mulier laudat Christum propter hoc
factum, Luc. 11. dicens: Beatus venter, qui te portavit
& ubera quæ susisti. Discamus potius omnia in me-
liorem interpretari partem, cum satis superquæ constet
rem bene se habere. Videamus ne lingva domatur ab in-
ferno ut loquitur S. Jacobus cap. 3. v. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.
Oremus ut Deus aperiat labia nostra, & os nostrum an-
nunciabit laudem DEI. Psal. 51. v. 17.

Clementissime DEUS pater cœlestis, qui lin-
gvarum donis & scripturarū verâ intelligen-
tia Apostolos ornasti, ut per tales, mundus illu-
minaretur & amplectaretur Evangelium, & ita
salvaretur. Oramus te cernui, ut idem Evan-
gelium,

gelium quod nobis etiam prædicatur in lingua
nostra materna , prompti & alacres accipiamus.
Per & propter eundem filium tuum Dominum
nostrum Jesum Christum , qui tecum & Spiritu
Sancto vivit & regnat in sempiterna secula.
Amen.

Ut si sicut Oliva virens in domo Dei, confidamus beni-
gnitati DEI in seculum & seculum. Celebremus te in
seculum, quod fecerit hac expectantibus nomen tuum, quia bo-
num coram eis quos benignitate persequeris. Psal. 52.v.10,11.

Quæstiones

I.

Cur festo Pentecostes miserit Christus Spiri-
tum S. potius quam alio die ? R.

Festodie, quo Hierosolymam confluere solebat
ingens hominum multitudo, editum fuisse miraculum,
ut illustrius redderetur. Et certe hac occasione in ul-
timos usq[ue] terrarum fines sparsum fuit, ut mox vide-
bimus. Eodem consilio saepè Christus Hierosolymam
asoendit diebus festis, quo pluribus innotescerent vir-
tutes quas edebat, atq[ue] ut in majore hominum frequen-
tia uberiore esset doctrinae fructus. Quemadmodum
dictum est lob. 2.v.13. Et 5.v.5. Et 7.v.10. Sic
etiam postea refert Lucas Paulum festinasse, ut an-
te diem Pentecostes Hierosolymam perveniret: non
religio-

religione aliqua, sed propter frequentiorem conveni-
tum, quo pluribus profectus.

II.

AN Apostoli verè locuti sint extraneis linguis?

R: Aff.

Alioqui non in ipsis sed in auditoribus fuisset miraculum. Ita falsa fuisset similitudo, cuius ante meminit Lucas, nec tam ipsis datus esset spiritus quam a liis. Audimus etiam ut Paulus Deo gratias agat, quod diversis linguis loquatur. Certè earum & intelligentiam & usum sibi vendicat 1. Cor. 14. v. 18. Neq; verò hanc facultatem consecutus fuerat suo studio vel industria, sed habebat ex dono Spiritus. Eodem loco speciale donum esse affirmat, quo non omnes sint prædicti. Ex his constat, varietate intelligentiaq; lingvarum donatos fuisse Apostolos. Et ubi invenerunt congregationem Iudeorum; ibi loqui sunt Hebraice aut Syriace: ubi congregationem Cretonium, aut Asianorum, ibi Græce: ubi congregationem Romanorum, ibi latine: ita ut habuerint veram cum auditoribus communicationem.